



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**COLLA=||TIONVM SACRA-||RVM LIBRI VIII.**

**Bredenbach, Tilmann**

**Coloniae, 1584**

**VD16 B 7375**

56. De quibusdam seruis, qui cum armati ad Ecclesiam confugerent, ibiq[ue] diuinas cæremonias impedirent, clericum quoque trucidarent, ta[n]dem seipsos interemerunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52445](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52445)

emergere, hominemque seorsum iacere prostratum. Sed putantes eum à somno occupatum (sicut didicerant iam à puellis, furtum factum) quantotius properant ad illigandum eum, sed accedentes mortuum reperiunt. Statimque puellis notum faciunt factum, & quod furto raptum fuerat, cellulae restituunt, admirantes tam velociter in homine diuinæ ultionis accessisse sententiam.

*Nicephorus Callistus lib. 14. cap. 32. Ecclesiast. histor. De quibusdam seruis qui cum armati ad Ecclesiam confugerent, ibique diuinas cœremonias impedirent, clericum quoque trucidarent, tandem seipsos interemerunt.*

## CAP. LV I.

*Ingenit. hereticorum.*

**C**VM Nestorius linguæ volubilitate elatus, animum ad veterum scripta non accuratè intēderet, sed se seipsum omnium præstantiorem esse duceret, multaque in Mariam θεοτόκον blasphemans nugaretur, accidit vt detestandum quid in Ecclesia fieret. Nam primarij cuiusdam magistratus serui, crudeliter ab ipso hero accepti, ad Ecclesiam confugere, & ferrum in manibus habentes, ad sanctiorem sacrificij aram irruere, iusque inde atque coacti exire, haud quaquam paruere, diuinas cœremonias impediētes: & diebus plurimis strictos & coruscantes enses præ se ferentes, vt obuios omnes ferirent, parati fuerunt. Atque vbi clericum quendam trucidarūt, ali-



aliumque in super vulnerarunt, postremo tandem seipsum interemerunt. Porro ex eis qui affuerunt, quidam mali ominis esse templi profanationem & iniquitatem, praedixit: poë-  
*Ventri profanatio omni-  
 nofa.*

*Assuevit omen ferre triste, sanctius*

*Si forte templum polluant piaculum.*

Nec ille prorsus non vera dixit. Cum enim diuisionem populi, & dissidium, tum eius qui seditiosae eiusmodi discessionis author esset, abrogationem praedicere visus est.

*Michael Glycas parte 4. Annalium. Ioannes Zonaras tom. 3. Annalium. De exitu Leonis Imper. rem Deo sacratam, usurpantis.*

C A P. LVII.

**L**E O Constantini Copronymi filius, religiosus quidem & pius ab initio, verum ubi coronam Ecclesiae à Mauritio donatam gestasset, carbunculi morbo vexatus, ardenti febre tandem extinguitur.

*Gregorius Turonensis lib. de gloria Confessorum, cap. 62. Paganus quidam sepulchrum S. Helij Episcopi spoliare instituens, ab ipso sancto tam diu extensis lacertis constringitur, donec à populo deprehenderetur, qui eandem emendatus incolumis dimittitur.*

**D**VM quadam vice ad occursum Pontificis Nicetij ambulassem, & loca sancta Lugdunensis oppidi circuirem, vir ille qui nos praecedebat, ad cryptam beati Helij inuicem ad orationem dicens, quia magnus sacer-